

Lib.

S. D. N. D.
GREGORII DIVINA
PROVIDENTIA
PAPÆ XIII.


Bulla

PROCESSVS, LECTA DIE
COENAE DOMINI ANNO
M. D. LXXX.

CVM MANDATO REVEREN-
DISSIMI AC ILLVSTRISSIMI AR-
CHIEPISCOPI ET PRINCIPIS SALIS-
burgensis &c. necnon Vicarij in spiri-
tualibus & Officialis Ratis-
ponensis.

INGOLSTADII
Ex Officina Typographica DAVIDIS SARTORII.

M. Georgius Schindler pbr. ff. de Imp. auct. publicis et
Episc. Ratisp. iur. Notarius subscr.



PUBLICATIO

Bulle Diei Cœnæ Domini &c.



I OANNES IACOBVS DEI GRATIA Salisburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſedisque Apoſtolicæ Legatus: Venerabilibus Fratribus Amicis noſtris Chariffimis D.D. Coëpiſcopis: nec nō nobis in Chriſto ſyncerè dilectis Abbatib. Prepoſitis, Archidiaconis, Decanis, Canonicis, Parochis, Cooperatoribus, Concionatoribus, Confeſſariis, aliisq; animarum curam ſatagentibus Prouinciæ noſtræ Salisburgēſis vbilibet exiſtentibus tam per Metropolitanā, quā Cathedralēs Eccleſias, ſalutem in Domino ſempiternam. Cū Sanctiſſimus D. noſter, Dominus Gregorius diuina prouidentia Papa XIII. literarum in die Cœnæ Domini præſenti Anno Incarnationis Dominicæ 1580. Quinto Kal. Aprilis Pontificatus ſui Anno Octauo leſtarum & promulgatarum publicum trãſſumptum nobis trãſmitti, & per Nuncium ſuum Reuerendiſſimum D. Episcopū Scalen. Amicū noſtrum Chariffimū ſignificari mandauerit, vt ad Chriſti fideliū nobis immediatè & mediatè cōmiſſorum ſalutem ac ſpiritualem vtilitatē huiusmodi Bullæ proceſſum ad publicam omnium notitiam vbiq; locorum Prouinciæ noſtræ deduci, & peruenire, ſeduloque obſeruari faceremus. Hinc eſt quod

A 2 manda-



mandatis Apostolicis obedire, & officio nostro satisfacere, imò veriùs ouium curæ nostræ quomodocunque creditarum spiritualibus commodis, prout sollicitè debemus, consulere volentes, prædictis vobis omnibus & singulis Coëpiscopis, Abbatibus, Præpositis, Archidiaconis, Decanis, Plebanis, Cooperatoribus, Concionatoribus, Confessariis, cæterisque omnibus, quorum officium & munus in animarum cura gerenda positum est, seriò per hæc scripta committimus, & in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis spiritualibus & temporalibus, nostræ voluntati reseruatis districtè præcipiendo mandamus, vt per vos, vel aliũ, seu alios, præsentem litteras, cū subiecta Bulla Cœnæ Domini, postquam eas receperitis, seu earum habueritis notitiam, semel in anno, aut si expedire videritis, etiam pluries, in Ecclesiis vestris dum in eis maior populi multitudo ad Diuina conuenerit, solenniter publicetis & ad Christi fidelium mentes reducat, nuncietis, & declaretis: nec non obseruetis, ab aliisque vestræ Iurisdictioni subiectis obseruari faciatis. Vt autem Coëpiscopi nostri, aliique locorum Ordinarij, & Ecclesiarum Prælati, nec non Rectores, cæteri que curam animarum exercentes, ac Presbyteri seculares, & quorumuis ordinum Regulares, ad audiendum Cõfessiones quauis auctoritate deputati dictæ Bullæ Apostolicæ exemplũ penes se habere, legere, diligenter examinare, & omnia iuxta ipsius tenorem obseruare, & obseruari facere possint, eiusdem quã plurima exempla hoc nostro mãdato in fronte præmissio imprimenda ac per totam Prouinciam distribuenda curauimus. Quod si fortè aliqui contra tenorem sæpeditarum litterarum Apostolicarum aliquem, vel aliquos absolueri de facto præsumperint, ij præter

excom-

excomunicationis sententiam, aliasque pœnas spirituales & temporales, quibus Bullæ ipsius vigore innodantur, etiam nostram indignationem, & grauem animaduersionem arbitrio nostro inferendam se nouerint incururos. Quare Confessarij singula Bullæ capita memoriæ infixæ habeant, & inter audiendas confessiones diligenter aduertant, obseruentque ne illa incurrentibus absolutionis beneficium impendant, nisi auctoritate Apostolica essent specialiter muniti. Datæ ex nostra Ciuitate Metropolitana Salisburgensi. Die x i i. Iulij. Anno à Christo nato M. D. Lxx.

Idem Ioannes Iacobus Archiepiscopus Salisburgensis manu propria.

I O A N N E S B A P T I S T A Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Almirensis. Suffraganeus, & in spiritualibus Vicarius & Officialis generalis Ratisponen. Vniuersis & singulis tam Cathedralis quàm aliarum Collegiatarum & regularium Ecclesiarum ac Monasteriorum cuiusuis ordinis Præpositis, Abbatibus, Decanis, Prioribus, Guardianis, Commendatoribus, Magistris, præceptoribus, & eorum loca tenentibus, cæterisque presbyteris curatis & nõ curatis, per Ciuitatē & diocesis Ratisponen. vbilibet constitutis salutē in Domino. Ea quæ à Reuerendissimo ac Illustrissimo Dño Metropolitano Domino nostro Clementissimo in mandatis habemus, pro commissi nobis officij ratione, debita cum obediētia exequi volentes, ex Reuerendissimæ ac Illustrissimæ

A 3 sua

suæ Celsitudinis mandato S. D. N. D. GREGORII
Papæ XIII. Bullâ in Cœna Domini promulgari solitâ,
omnibus & singulis huius Ratisponen. diocesis Paro-
chianis & subditis fideliter ac piè obseruâdam pponere
ac diuulgare statuimus. Quare vobis omnibus & singu-
lis supradictis in virtute S. obedientiæ, nec non sub cen-
suris & pœnis in literis Apostolicis, ac Reuerendissimi &
Illustrissimi Dñi Metropolitanî mandato insertis, di-
strictè præcipiendo mandamus, vt quilibet vestrûm ex-
emplar iam dictæ Bullæ penes se habeat, legat, ac firmi-
ter obseruare studeat. Quemadmodum hoc ipsum in-
cuitabilis necessitas & afflictis conscientis consulendi
necessaria ratio iure postulat. Alioquin contra inobe-
dientes ad pœnas condignas procedemus. Decretum
Ratisponæ in Cōsistorio Episcopali, die Vigesima quin-
ta Augusti, Anno M. D. Lxxx.

*Ioannes Baptista Episcopus Al-
mirensis Suffraganeus et Vi-
carius Ratisponensis manu
propria.*


LITE-

L I T E R Æ
PROCESSVS S. D. N. D.
GREGORII PAPÆ XIII. LE-
CTÆ DIE COENÆ DOMINI,
ANNO M. D. Lxxx.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ
TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET
Spiritus sancti AMEN.

NOVERINT vniuersi hoc præsens publicum transsum-
ptum inspecturi, quòd nos Hieronymus Matthæius Protono-
tarius Apostolicus vtriusq. signaturæ S. D. N. Papæ Referenda-
rius, Curie causarum Camera Aposto. generalis Adiutor, Roma-
næq. Curie Iudex ordinarius, *sensentiarumq. & censurarû la-
tarum*, ac quarumcung. literarum Apostolicarum vniuersalis
executor ab eodẽ S. D. N. Papa deputatus, vidimus, et diligenter
inspeximus literas Apostolicas S. D. N. Gregorij diuina prouide-
tia Papæ XIII. hodie, qui fuit dies Iouis sancti, & Cœnæ Domini,
& solenniter more solito lectas & publicatas, eiusq. vera Bulla
plumbea cum cordula rubei croceiq. colorum more Ro. Cu. pen-
dente bullatas, & omni suspitione carentes subsequentis tenoris.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVO-
RVM DEI AD FVTVRAM REI MEMORIAM.



ONSVEVERVNT Romani Pontifices præde-
cessores nostri, ad retinendam puritatem re-
ligionis Christianæ, & ipsius unitatem, qua
in coniunctione membrorum ad vnum caput,
Christum videlicet, eiusq. Vicarium, princi-
paliter consistit, & sanctam fidelium societatem ab offensione
seruandam, arma iustitiæ per ministerium Apostolatus, in præ-
senti celebritate exercere.

Ex communicatio-
& anathematiza-
tio.

I. Nos

1. In hæreticos, eorum fautores, libros legentes, & Schismaticos, qui ab obedientia Rō Pont. recedunt.

1. Nos igitur vetustum, & solennem hunc morem sequentes, excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra quoscunque, Hussitas, Vicleuitas, Lutheranos, Zuvingianos, Calvinistas, Hugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, ac omnes & singulos alios Hæreticos, quocunque nomine nuncupentur, & cuiuscunque secta existant, & eorum credentes, ipsorumque receptatores, & fautores, & generaliter quoslibet defensores, ac eorundem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes sine auctoritate nostra & sedis Apostolica, scienter legentes, aut tenentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publicè vel occultè, quouis ingenio, vel colore: necnon Schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Rom. Pont. pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

2. In appellantes à Papa ad futurum Concilium.

2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos cuiuscunque status, gradus seu conditionis fuerint, & interdiciamus Vniuersitates, Collegia, & Capitula, quocunque nomine nuncupentur, ab ordinationibus, sententiis, seu mandatis nostris, ac Rom. Pont. pro tempore existentium, ad vniuersale futurum Concilium appellantes, necnon eos, quorum auxilio vel fauore appellatum fuerit.

3. In Piratas, eorum receptatores, & fautores.

3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Latrunculos maritimos, & illos precipuè, qui mare nostrum à Monte argentario vsque ad Terracinam discurrentes, eos qui in illo nauigant, depradantur, mutilant, interficiunt, rebusque, & bonis suis spoliant, omnesque receptatores eorundem, & eis auxilium scienter dantes, vel fauorem.

4. In rapiētes naufragorum bona, aut scienter ab aliis rapta accipientes.

4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quoruncunque nauibus tempestate intransuersum (ut dici solet) iactatis, naufragium passis, aut etiā submersis, siue in ipsis nauibus, siue ex eis dilapsa, & in mari, vel littore

littore inuenta, cuiuscunque generis bona, tam in nostris Tyrreni, & Adriatici, quam in quibuscunque aliis cuiuscunque maris regionibus, & littoribus rapuerint, aut scienter ipsi sibi acceperint, aut ab aliis rapta, seu accepta scienter receperint: ita ut nec etiam ob quodcunque privilegium, consuetudinem, aut longissimi etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcunque pretextum excusari possint.

5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis noua pedagia, seu gabellas ad id potestatem non habentes imponunt, vel augent, aut imponi vel augeri prohibita exigunt.

6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios literarum Apostolicarum, & in forma Breuis, ac supplicationum gratiam, vel iustitiam cōcernentium, per Rom. Pont. vel S. R. E. Vicecancellarium, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Rom. Pont. signatarum, aut sub nomine eiusdem Rom. Pont. seu Vicecancellarij, aut gerentium vices predictorum signantes supplicationes easdem: ac etiam falsò fabricantes literas Apostolicas, & in forma Breuis, ac supplicationes huiusmodi, Extendentes constitutionem fel. re. Innocentij Papæ III. quæ incipit. Ad falsarium. cum omnibus pœnis in ea contentis, ad eosdem fabricantes, et etiam ad falsificantes, seu mutantes supplicationes per nos, seu de mandato nostro signatas & datas, sine nostra, aut Datarij nostri licentia.

7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canabem, funes tam ex ipso canabe, quam ex quacunque alia materia, & ipsam materiam aliisque huiusmodi, quibus Christianos impugnât, deferunt Saracenis, Turcis, & aliis Christi nominis inimicis: Necnon illos, qui per se vel alium seu alios de rebus Christianæ Reip. statum concernentibus, in Christianorum perniciem, et damnum ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos certiores fa-

5. In imponentes noua pedagia, & gabellas, vel eas augentes,

6. In falsificantes literas Apostolicas aut supplicationes à quocunque auct. habente signatas ac falso fabricant literas Apostolicas &c.

7. In deferentes arma & alia bellica vniuersa ad Turcas, & Reip. statum cōcernentia predictis enunciantes.

B ciunt,

ciunt, illisq; ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant: Non obstantibus quibuscunque privilegiis, & concessionibus quibuscunque Principibus & Dominis, siue priuatis personis per nos & sedem prædictam hætenus concessis, quæ illis nolumus in aliquo suffragari.

8. In impeditentes eos qui victualia, & alia necessaria Romæ cōuehant. 8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impeditentes, siue inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad usum Romanæ Curie necessaria adducunt, ac etiam eos qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, impediunt, seu perturbant, vel qui talia fieri faciunt, vel facientes defendunt, cuiuscunque fuerint ordinis, præeminentie, cōditionis et status, etiam si Pontificali, vel Regali, aut alia quauis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

9. In eos, qui ex proposito Romipetas offendunt. 9. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes exproposito interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capiētes, seu depradantes Romipetas seu Peregrinos ad Urbem causa deuotionis, seu peregrinationis, & prorsus omnes alios ad sedem Apostolicam accedentes, vel apud eam morantes, aut recedentes ab ipsa, & illis dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

10. In eos qui sine iurisdictione, in Curia commorantes vexant. 10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui non habentes in eadem Curia iurisdictionem ordinariam vel delegatam, eius prætextu capiunt, spoliant, detinent morantes in eadem, vel qui talia fieri mandant.

11. In Offendentes S.R.E. Cardinales, & alios prælatos. 11. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, verberantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinētes, vel hostiliter insequentes S.R.E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos sedisq; Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eosdē eiicientes à suis diocēsi-bus, territoriis, terris, seu dominiis, eaq; mandantes, vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium, vel fauorem.

12. In eos, qui ad Romanam Curiam recurrētes offen- 12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se vel alium seu alios, quascunque personas Ecclesiasticas, vel

vel seculares ad dictam Curiam super eorū causis & negotiis recurrētes, illasq; in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumq; gestores Aduocatos, Procuratores ipsorum, seu etiam Auditores, vel Iudices, super dictis causis, vel negotiis deputatos occasione causarum, vel negotiorū huiusmodi verberant, mutilant, vel occidunt, seu bonis spoliant, vel qui per se vel alium seu alios directē vel indirectē prædicta exequi vel procurare, aut in eisdem consilium, auxilium, vel fauorem præstare nō verentur, cuiuscunque præeminentie et dignitatis fuerint: Ac illos qui literas Apostolicas, & in forma Breuis tam gratiam, quàm iustitiam concernentes, ac etiam citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, processus, executoriales, aliq; decreta quacunque à nobis, & à sede Apostolica, seu Legatis, Nunciis, Præsidentibus, Camera Apostolica Auditoribus Cōmissariis, aliisq; iudicibus, et delegatis Apostolicis emanata, et quæ pro tēpore emanauerint, simpliciter, vel sine eorum beneplacito cōsensu, vel examine, executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarij super huiusmodi literarum, & processuum executione instrumēta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibēt, aut impediri vel prohiberi procurāt: Ac Notarios, Executores, & Subexecutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, carcerant, et detinēt, vel capi, carcerari & detineri faciunt: Quique etiam quibuscunque personis in genere vel in specie, ne pro quibuscunque eorum negotiis prosequendis, seu gratiis vel literis impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas vel literas à dicta sede impetrent, seu impetratis utantur, directē vel indirectē phibere statuere, seu mādare, vel eas apud se, aut Notarium, seu Tabellionem, vel aliās quomodolibet retinere præsumūt.

13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes & singulos Cancellarios, Vicecancellarios, & Cōsiliarios ordinarios, et extraordinarios quorumcunque Regum, & Principum, ac Præsidentes

dūt, aut executionem literarū Apostolicarum impediunt, & ad gratias impetrandas accedentes prohibent.

13. In officiales Principum secularium, & Prælatos, qui causis Ecclesiasticis à iudi-

cibus Apostolicis
auocant, & acto
res ad reuocanda
impetrata com-
pellunt.

*sidentes Cancellariarū, Consiliorū, et Parlamentorū: necnon pro-
curatores generales, eorundē, vel aliorū Principum secularium,
etiam si Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacūq; præfulgeant
dignitate, quocūque nomine nuncupentur: aliosq; Iudices tam
ordinarios quā delegatos, necnon Archiepiscopos, Episcopos,
Abbatē, Commendatarios, Vicarios, & Officiales, qui per se, vel
alium, seu alios auctoritate propria & de facto quarumcūq; ex-
emptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarū
prætextu beneficiales, & decimarum, ac alias spirituales, et spiri-
tualibus annexas causas ab auditoribus, & Commissariis nostris,
aliisq; iudicibus Ecclesiasticis auocant, illarū inue cursum, & au-
dientiam, ac personas, capitula, conuentus, collegia, causas ipsas
prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquā
iudices interponunt, ac qui partes actrices, quæ illas committi fe-
cerunt, & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum cita-
tiones, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad fa-
ciendum, vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones
emanarunt, à censuris, et pœnis in illis contentis absoluit statuūt,
et compellunt, vel aliās executionem literarum Apostolicarum,
vel executorialium, processuum, ac decretorum prædictorum,
etiam sub prætextu violentiæ prohibēda, vel quod ad nos infor-
mandos, ut ipsi dicunt, supplicauerint, aut supplicari fecerint,
nisi ipsi supplicationes huiusmodi coram nobis, & sede Apostolica
legitimè prosequantur, quomodolibet impediunt, vel suum ad id
fauorem, consilium, aut assensum præstant.*

14. In iudices sa-
culares, qui Ec-
clesiasticas perso-
nas ad sua Tribu-
nalia trahūt: qui-
que Ecclesiasticā
libertatem tollūt
vel in aliquo le-
dunt.

14. Quine ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam quo-
rumcūq; personas Ecclesiasticas, Capitula, Conuentus, & Col-
legia Ecclesiarum quarumcūq; coram se adeorum tribunal, au-
dientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter
Iuris Canonici dispositionem trahūt, vel trahi faciunt, vel pro-
curant, directē vel indirectē, quouis quæsito colore: Necnon qui
statuta, ordinationes, cōstitutiones, pragmatice seu quæuis alia
decreta

*decreta in genere, vel in specie, ex quouis causa, & quouis quæs-
to colore, ac etiā prætextu literarū Apostolicarū vsu non recepta-
rum, seu reuocatarum, vel cuiusvis consuetudinis, aut privilegij
vel aliās quomodolibet fecerint, ordinauerint, et publicauerint,
vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica
tollitur seu in aliquo leditur vel deprimitur, aut aliās quouis mo-
do restringitur, seu nostris, et dictæ sedis, ac quarumcūq; Eccle-
siarum iuribus quomodolibet directē vel indirectē, tacitē vel
expresse præiudicatur.*

15. Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosq; superiores, vel inferiores Prælatos, & omnes alios quoscūq; Iudices Eccle-
siasticos ordinarios quomodolibet impediunt, quò minùs sua iu-
risdictione Ecclesiastica contra quoscūque utantur, secundum
quod Canones & sacra cōstitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Cō-
ciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt.

16. Quine iurisdictiones, seu fructus, redditus, & prouentus, ad nos & sedem Apost. & quascūq; Ecclesiasticas personas ra-
tione Ecclesiarum, monasteriorū, & aliorum beneficiorum Ec-
clesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quouis occasione
vel causa, sine Rom. Pont. vel eorum ad quos iure pertinent, ex-
pressa licentia sequestrant.

17. Quine collectas, decimas, taleas, præstantias, et alia onera clericis, prælati, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum & Ec-
clesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasti-
corum bonis, illorumq; fructibus, redditibus, & prouentibus hu-
iusmodi absq; simili Rom. Pont. speciali, & expressa licentia im-
ponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic im-
posita etiā à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt: necnon
qui per se, vel alium, seu alios directē, vel indirectē, prædicta fa-
cere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium,
vel fauorem, aut votum, seu suffragium palam, vel occultē præ-
stare non verentur, cuiuscūq; sint præeminentia, dignitatis, or-
dinis,

15. In impediētes
Prælatos, ne sua
iurisdictione utā-
tur.

16. In usurpantes
sedis Apostolicæ,
& quarumcūq;
Ecclesiarum iurisdic-
tiones, vel fru-
ctus, aut eos se-
questrantes.

17. In imponētes
decimas, & onera
personis Ecclesia-
sticis, Ecclesiis,
monasteriis, aut
eorum fructibus.

ordinis, cōditionis, aut status, etiam si Imperiali, aut Regali præfulgeāt dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, Respublica, & alij potentatus quicunq, etiam Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, & terris quoquo modo præsidētes, aut quauis etiā Pontificali dignitate insigniti: Innouantes decreta super his per sacros Canones tā in Lateranen. nouissimè celebrato, quā alijs Cōcilijs generalibus edita, etiā cum censuris, & pœnis in eis contentis.

18. Contra iudices seculares in causis capitalibus, seu criminalibus contra Ecclesiasticas personas se interponentes.

18. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunq, Magistratus, Senatores, Præsidentes, Auditores, & alios Iudices quocunq, nomine vocentur, ac Cancellarios, Vice-cancellarios, Notarios, scribas, ac executores, & subexecutores, & alios quoquo modo se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas banniendo, capiēdo, processando, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, etiam prætextu quorumcunq, priuilegiarum à sede Apostolica ex quibusuis causis, ac sub quibuscunq, tenoribus, & formis, in genere & specie cōcessorum quibuscunq, Regibus, Ducibus, Principibus, Rebus publicis, Monarchis, Ciuitatibus, & alijs quibuscunq, potentatibus quocunq, nomine censeantur, quæ nolumus illis in aliquo suffragari, illa omnia ex nunc in irritū reuocando.

19. In occupantes loca, & terras Ecclesiæ Rō. & in illis supremam iurisdictionē usurpantes.

19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel alium, seu alios, directè vel indirectè, sub quocunq, titulo, vel colore de facto occupant, vel detinēt, vel hostiliter destruūt, vel inuadūt, aut occupare, detinere, vel destruere, aut inuadere hostiliter præsumpserint in totū vel in partē Almā Urbē, Regnū Sicilia, Insulas Sardinia, & Corsica, Terras citra Pharū, Patrimonium B. Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanū, Comitatum Venaysinū, Sabinensem, Marchiam Anconitanā, Massā, Trebaria, Romandionā, Campaniā, & maritimas prouincias, illarumq, terras, & loca, ac terras specialis cōmissionis Arnulphorū Ciuitatesq, nostras Bononiam, Cesenam, Ariminum, Beneuentū, Perusum, Auinionem, Ciuitatem Castelli, Tudertum, & alias ciuitates

Ciuitates, Terras, & loca, vel iura ad ipsam Rom. Ecclesiā pertinentia, dictaq, Rom. Eccle. mediātè, vel immediātè subiecta: quæ supremā iurisdictionē in illis nobis, & eidem Rom. Eccle. competentē, de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis præsumunt: Necnon adhaerentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstantes.

20. Necnon omnes, & singulos suppellectilium, librorum, scripturarum, & bonorum Camera, & Palatij Apostolici ex eodem Palatio, infirmitatis Roman. Pont. ac sedis Apostolicæ vacationis tempore, ablatores, raptores, & illorum detentores, ac quoscunq, alios, ad quorum manus bona prædicta quocunq, titulo, & ex quauis causa scienter peruenerint.

20. In raptores suppellectilium, & scripturarum Camera, & Palatij Apostolici.

21. Volentes præsentēs nostros processus, ac omnia & quæcunq, his literis contenta, quousq, alij huiusmodi processus à nobis, aut Rom. Pont. pro tempore existente fiant aut publicentur, durare, suosq, effectus omnino sortiri.

21. Quandiu præsentēs processus durent.

22. Ceterū à prædictis sententijs nullus per alium, quàm per Rom. Pont. nisi in mortis articulo constitutus, nec etiā tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis & satisfaciendo cautione præstita, absolui possit, etiam prætextu quarumuis facultatum & indulgentiarum, quibuscunq, personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis ordinum etiam Mendicantium & Militiarum regulis, etiam Episcopali vel alia maiori dignitate præditis, ipsisq, ordinibus & eorum Monasterijs, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis pijs, necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus per nos & dictam sedem ac cuiusuis Concilij decreta, verbo, literis, aut alia quacunq, Scriptura in genere & in specie concessorum, & innouatorū, ac concedendorum & innouandorum.

22. Reservatio absolutionis Romano Pontifici.

23. Quod si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommu-

23. Contra absolutes in supra dictis casibus,

excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui
absolutionis beneficium impendere de facto presumpserint, eos
excommunicationis sententia innodamus, grauius contra eos spi-
ritualiter, & temporaliter, prout expedire nouerimus, processuri.

24. Absolutio Rō. 24. Declarantes, ac protestantes quancūq; absolutionē etiā
Pontificis etiā so-
lennis quos non
comprehendat. solenniter per nos faciendam, praedictos excommunicatos sub pra-
sentibus comprehensos, nisi prius a praemissis, cum vero proposito
ulterius similia non committendi, destiterint, Ac quo ad eos, qui
contra libertatem, ut praemittitur, statuta fecerint, nisi prius
statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta
huiusmodi publicè reuocauerint, & ex Archiuis, seu Capitulari-
bus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, &
cassari, ac nos de reuocatione huiusmodi certiores fecerint, eos nō
comprehendere, nec eis aliter suffragari. Quinetiam per huius-
modi absolutionem, aut quoscūq; alios actus contrarios, tacitos
vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram,
vel Successorum nostrorum quantocūq; tempore continuata, in
praemissis omnibus & singulis, ac quibuscūq; iuribus Sedis Apo-
stolicae, ac S. R. E. undecūque & quomodocūque quasitis, vel
quaerendis nullatenus prauiudicari posse, seu debere.

25. Quod non ob- 25. Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, & literis Apost.
stāt priuilegia aut
quāuis Apostoli-
ca indulta, quo
minis quis in hoc
processu includa-
tur. tur. Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, & literis Apost.
generalibus, vel specialibus, supradictis vel eorum alicui, seu ali-
quibus, & aliis cuiuscūque ordinis, status, vel conditionis,
dignitatis, & praeminentia fuerint, etiam si, ut praemittitur,
Pontificali, Imperiali, Regali, seu quauis Ecclesiastica, et munda-
na praefulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Cuius-
tibus, seu locis, a praedicta sede ex quauis causa etiam per viam
contractus, aut remunerationis, & sub quauis alia forma, & te-
nore, ac cum quibusuis clausulis etiam derogatoriis derogato-
rii concessis, etiam continentibus quod excommunicari, ana-
thematisari, vel interdicti non possint per litteras Apost. non
facientes plenā & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto
huiusmodi

huiusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognomi-
nibus, & dignitatibus eorum mentionē, Nec nō consuetudinibus
etiam immemorabilibus, ac praescriptionibus quantūcūq; lon-
gissimis, & aliis quibuscūq; obseruatiis scriptis, vel non scriptis,
per quae contra hos nostros processus ac sententias, quod minis in-
cludantur in eis, se iuuare valeant, vel tueri: quae omnia quo ad
hoc, eorū omnium tenores, ac si ad verbum nihil penitus omisso
inserireretur praesentibus pro expressis habentes, penitus tollimus,
& omnino reuocamus, ceterisq; contrariis quibuscūque.

26. Ut verò praesentes nostri processus ad cōmunē omnium notitiā
facilius deducantur, chartas, seu membranas processus ipsos cō-
tinentes valuis Ecclesiae S. Ioannis Lateran. & Basilica Princi-
pis Apostolorum de Vrbe appendi faciemus, quae processus ipsos
quasi sonoro praconio, & patulo indicio publicabunt, ut ij, quos
processus huiusmodi contingunt, quod ad ipsos non peruenierint,
aut quod ipsos ignorauerint, nullam possint excusationem pra-
tendere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile id re-
manere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

27. Insuper, ut processus ipsi ac praesentes literae, ac omnia &
singula in eis contenta eo fiat notiora, quod in plerisque ciuitatibus,
et locis fuerint publicata, vniuersis & singulis Patriarchis, Pri-
matibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, Prae-
latis & Rectoribus vbilibet constitutis per haec scripta commit-
timus, et in virtute sanctae obedientiae districtè precipiendo man-
damus, ut per se vel alium seu alios praesentes literas, postquā eas
receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si
expedire viderint, etiā pluries in Ecclesiis suis, dum in eis maior
populi multitudo ad diuina conuenerit, solenniter publicent, &
ad Christi fidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

28. Caterum hortamur eosdem vniuersos, & singulos Patri-
archas, Archiepiscopos Episcopos aliosq; locorum ordinarios, &
Ecclesiarum Praelatos, nec non Rectores, ceterosq; curam anima-

26. Quod appensio
processus in valuis
Ecclesiae sancti Io-
annis Lateran.
& Basilicae princi-
pis Apostolorum
ignorantiae, aut
excusationi alicuius
locum non re-
linquat.

27. Quod Ordina-
rij locorum quo-
tannis praesentem
processum in suis
Ecclesiis frequen-
ti populo publi-
cari curent.

28. Quod Confes-
sarij harum lite-
rarum transun-
ctum habeant.

rum exercentes, ac presbyteros seculares, & quorumvis ordinum regulares ad audiendum confessiones quavis auctoritate deputatos, ut Transumptum harum literarum penes se habere, legere, & diligenter examinare procurent.

29. Quod transumptis subscriptis fides adhibeatur.

29. Volentes earundem presentium transumptis, etiam impressis, Not. publici manu subscriptis, & sigillo Iudicis ordinarij Rom. Curia, vel alterius personae in dignitate Ecclesiastica constituta munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra illud ubique locorum adhibendam fore, quae ipsis presentibus adhiberetur, si essent exhibitae, vel ostensa.

30. Et ne quis literas violenter, sub poenis &c.

30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae excommunicationis, anathematizationis, interdicti, declarationis, protestationis, sublationis, renocationis, commissionis, innodationis, mandati, hortationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae, Millesimo quingentesimo octuagesimo, Quinto Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Octavo.

Cæsar Glorierius.

M. Datarius.

A. de Alexiis.

REGISTRATA APVD CÆSAREM SECRETARIUM.



ANNO à Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo octuagesimo, indictione octaua, die verò Iouis ultima mensis Martij Pont. sanctiss. in Christo patris & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papa XIII. anno octauo, retroscripta litera Apostolica affixa, & publicata

publicatae fuerunt ad valuas Ecclesiae S. Io. Lateranen. & Basilicae Principis Apost. de Vrbe, necnon Cancel. Apost. & in acie campi Florae, per nos Petrum Aloysium Gaytam et Nicolaum Taglietum eiusdem sanctiss. D. N. Papae Curs. Scipio de Octavianis Cursor. pro Mag. Cursor. Quibus quidem literis diligenter inspectis, illas ad requisitionem, et instantiam Magnifici D. Ioan. Felici Saluatorij S. D. N. Papae, & Camerae Apostolicae Procuratoris Fiscalis, per Io. Paulum Maynum nostrum et dictae Curiae Notarium publicum infrascriptum transsumi, & exemplari, ac in hanc publicam transumpti formam redigi mandauimus. Decernentes, & volentes, ut huic presenti transumpto, iuxta earundem literarum, & decreti in eis appositi formam, continentiam & tenorem de cetero plena, & indubia fides adhibeatur ubique locorum, ac si ipsae literae originales exhibitae, vel ostensa forent. Quibus omnibus, & singulis auctoritatem nostram ordinariam ac decretum interposuimus, & interponimus per presentes. In quorum fidem praesentes literas, atque praesens publicum transumpti instrumentum exinde fieri, & per impressores Camerales imprimi, ac per dictum Notarium nostrum, & Curiae nostrae coram nobis scribam infrascriptum subscribi, & publicari mandauimus, nostriq. soliti sigilli impressione muniri iussimus, & fecimus. Datum Romae in adibus nostrae solitae residentiae, sub Anno à Natiuitate Domini 1580. Indictione octaua, die verò ultima mensis Martij Pontificatus sanctiss. in Christo patris & Domini N. D. Gregorij diuina prouidentia Papa XIII. Anno octauo, presentibus ibidem DD. Pompeo Antonino, & Antonio Guidotto dictae Curiae nostrae Notariis, & coram nobis scribis testibus ad praemissa omnia & singula vocatis, & rogatis.

Franc. Bachelettus Curiae Causarum Camerae
Apost. Notarius subscripsit.

Roma, apud Haeredes Antonij Bladij Impressores Camerales.